PORPHYRIOS. ARISTOTELES. BOETHIUS. VARIA PHILOSOPHICA
England/Nordfrankreich, um 1170/1190 Seite 47r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=128
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift





differentia ⁊ diffinitio. ¶ Et diffinitionem sequitur proprium. vel differentia hoc modo. Nam si homo est animal est. Si homo est rationale est. Si homo est animal rationale ⁊ mortale est. Si homo est risibile est. Si ethiops est niger est. ¶ Si risibile est homo est. Si animal rationale mortale est homo est. ¶ Si risibile est rationale est. Si risibile est animal rationale mortale est. ¶ Si animal rationale mortale est risibile est vel bipes est. Preterea hec autem alias quidem effectus causam. alias effectum causa consequitur. ¶ Effectus causam ita. Si sol presto est lucet. ¶ Rursus effectum causa hoc modo. Si quid exustum est ignis affuit. ¶ Item totum partes sequuntur ut si integra domus est ⁊ tectum. ⁊ parietes. ⁊ fundamentum consistunt. ¶ Modus ⁊ nomen sequitur principale. Ut si iusticia bona est ⁊ qui iuste est bene est. ¶ Nomen ⁊ principale sequitur modum. Ut si qui iuste est bene est ⁊ iusticia bona est. ¶ Accidentia quoque comitatur id quod subiectum est. Ut si album est corpus est. Que cum ita sint condicionalis quoque simplicis ex duabus affirmationibus copulate illa fere diuisio est questionis que in ea vel de genere. vel de proprio. vel de diffinitione. vel de accidenti. vel de causa atque affectu. vel de toto ac partibus. vel de modo ac principali nomine. dubitatur. Atque hec de ea questione intelligenda sunt. que cum sit ypothetica simplex ex duabus tamen iungitur affirmatiuis;

In eisdem ⁊ differentiis illas quoque consistere necesse est questiones que ab his ueniunt propositionibus que ex utraque negatione consistunt. Nam si genus non est species non est. Item si differentia vel diffinitio. vel proprium non sit species non erit. Et de ceteris quidem que supra dicta sunt eodem modo considerandum est. Quicquid enim antecedit ut aliud consequatur. si id quod consequitur non fuit nec illud quidem est quod antecedit. ¶ Earum uero questionum que ex affirmatione ⁊ negatione consistunt. Illa uero diuisio est quod vel in diuersis generibus vel in diuersis speciebus. vel in contrariis. vel in priuatione. atque habitu continentur. Ut hec affirmatione negatio consequatur aut diuersum ponitur genus ut quod ab eo diuisum est abnuatur hoc modo. ¶ Si substantia est qualitas non est. ¶ Vel si sub eodem genere diuerse species proponantur hoc modo. Si homo est equus non est. ¶ Vel si contraria. Si album est nigrum non est. ¶ Vel si priuationes. Si cecus est non uidet. Et postremo in omnibus in quecumque eadem non sunt conuenit. Itaque ut propositam affirmationem negatio comitetur. aut diuersa erit genera. aut diuerse species. aut contraria. aut priuantia. vel quolibet alio modo sibimet inconuenientia. ¶ Ut autem negationem affirmatio consequatur que erat quarta conditionalis propositionis differentia. fieri non potest. nisi in his contrariis que medio carent. ⁊ quorum alterum semper esse necesse est hoc modo. Si dies non est nox est. Si tenebre non sunt lux est.